

9

EXERCITAT. HISTOR. ECCLESIAST.
DE
LAPSV ORIGENIS,
QVAM
D. F. G.

PRAESIDE
IO. ANDR. SCHMIDIO
ABBAT. MARIAEVALL.

SS. TH. D. EIVSDEM^Q. ET SS. ANTIQQ^Q. P.P. FAC. S.
SEN. ET H. T. DECAN.

PATR. ET. PRAEC. AETERN. COLENDISSL.
IN PVBL. DISPVTL.

PLACIDAE ERVDITOR. DISCVSSIONI
SVBMITTET

IO. MATTHIAS HASIVS AVG. VIND.
AD DIEM XII. APRIL. MDCCIV.



T 154

HELMSTADII,
TYPIS GEORGII WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr.

EXERCITIA HISTOR. ECCLESIAST.
DE
LAPSA ORIGENIS
GAIK
D. F. G.
BRASSIDE
IO. ANDR. SCHMIDII
ABBAT. MARIAE ABLI.
SS. TH. D. PIAZENZO ET SS. ANTONI. R. BEC.
SEN. ET H. T. DECAN
TAL. ED. PIAZENZO MATERIA COVENDESS.
IN PIAZ. DISCHAT
PLACIBAE ERADITOR DISCACSSIONI
SAMMITTE
IO. MATTHIAS HASIUS AG. VIND.
AD DIEN XL APRIL MDCCXV



HER. WSTADII
Tunc Georgii Mottevni Hammus. Vnde. I. Zaboev.



§. I.

Apos totius ecclesia eos, qui ad indigna christianæ professionis delicta, homicidii videlicet, adulteriorum & idololatriæ capitalia crimina prolapsi essent, figurata eleganter dictio ne vocavit. Inter quos præcipue postremi sceleris rei varia & distincta nominibus habuerunt genera, causam differentiæ statuente varietate modorum, quibus a gentilibus erant expugnati. Diæti sunt alii libellatici, vel Alba spina, quod oblato magistratibus libello Christianorum sacris negatis immunitatem obtinuissent, vel quod Christianos qui L. I. Ob serv. 21. dem se profesi objecta avaritiae præfectorum clam pecunia impunitatem literasque redemissent: alii sacrificati, alii tu rificati & mittentes, sacrificio plene peracto, vel ture saltem monstris deorum oblato. Aequaliter tamen omnes odio & detestationi fidelium obnoxii erant, creditum exemplum periculum levitatis amplificandæ inesse, coetumque innocentium & sanctorum hominum consortio vitiosorum pol lui. Quibus inde aliquando negatus erat liber ad ecclesiam accessus, & ante Cornelii Romani & Cypriani tempora perpetuo negata spes veniae, ac velut obstructæ commun ionis piorum fores, quas aliquando, cum illi impetu magis perfringere, quam modeste pulsare tentarent, quo & A ingenti

Alba spina,
Ob serv. L.
II. Obs. 12.
p. 172. f.

* (2.) *

ingenti eorum numero & pertinaci desiderio consultum es-
set, tandem indulta est ipsis promissio absolutionis in arti-
culo mortis, si anterior tota vita indicium fecisset mutati in
melius animi. Sed & ex altera parte, cum quidam com-
pendio usuri per intercessionem martyrum in ecclesiam ir-
rumperent, huic licentiae modus & terminus est positus,
circumscrip̄tæque certæ conditiones, & injuncta etiam ob-
servatio disciplinæ nihilo laxioris & poenitentiæ per gradus
distinctæ. Qualis etiam rigor cum successu temporis con-
tinuatus est, dum porro pro delictorum partim conditione
partim personarum aut ætatis & sexus, certi iisque numero
non exigui determinati sunt anni vel ad universum iis po-
nitentiæ decursum, vel quosdam gradus ejus observandos.

Dn. Præf.
in pro-
gramm. de
libell. pa-
cis, b. 2.

§. 2. Ex quo ecclesiæ animo & affectu conjicitur,
quantum invidiæ facere Origeni voluerint, qui hujus cri-
minis eum insimularunt, propterea, quod illa objectione
execrabile atque detestandum omnibus eundem reddere
cogitaverint. Simil etiam ex hoc capite æstimari a pru-
dente licet verisimilitudo aut falsitas istius incusationis, cum
quo atrociores fuerint calumniæ, eo minus plerumque sub-
esse veritatis consueverit. Quod imprimis certum est in
hominibus alioquin invisis, in nemine autem magis quam
Origene, cuius profecto, quantum benigna natura in tribu-
endis bonis laboraverit, tantum invidia in detrahendo cer-
tasse videtur.

§. 3. Hanc vero rem inter omnes propter quas ille a
præcipuis maximisque viris est defensus atque ab immer-
itis criminib⁹ vindicatus, nos potissimum summis
hic loci & temporis examinandam, materiam nempe, in qua,
neque difficultate persuadendi deterri, neque ipsi invi-
dia

* (3.) *

diam vereri debeamus. Debet enim idem nobis favor ex-
hiberi, qui datus est aliis, cum in multo difficilioribus Ori-

Huet. Or.

L. II. c. 4.

f. 3. 20, 21.

genem propugnarent.

§. 4. Fundamentum vero totius rei, si breviter sit ab
ortu suo derivanda, situm est in demonstratione causæ eges-
sus Origenis ab Alexandria. Scriptorum potior & melior
pars consentiunt in accusanda Demetrii malevolentia, qua
superatus Origenes innocentissimum ferre compulsus est e-
xilium. Nam cum illi, collecto ingenti ex hujus admirabili
gloria livore, facilius ad exequendum odium occasio decesset,
offensum se simulavit audacia episcoporum Palæstinorum,
qui se inscio Origeni diu promeritum presbyterii honorem
contulerant, a qua dignitate eum callidissimo invento ipse re-
tinuerat. Propterea etiam quamvis pientissimi præfules
factum rationibus & propria ejus commendatione defen-
derent, tamen usque adeo iratum se præbuit atque infestum,
ut ea etiam Origenis gesta factaque, quæ antea laudaverat
jam non tantum calumniari, sed & damnare inciperet, pro-
gressus eo violentiæ, ut ab ecclesiæ communione eum ejici-
ret, decretique illius probatores, coacto provincialium
clericorum conventu, sibi acquireret. Qua necessitate pa-
lam est Origenem invidiae inimicorum concessisse, & mi-
grasse Alexandria; tam favorablem autem excessum ejus
fuisse, ut in Palæstina hospitium non solum & refugium, ei
patuerit, sed etiam non minus ab episcopis honoris, quam
a malevolis convitiorum delatum fuerit. Sed hujus tam
laudabilis patientiæ exemplum alii contraria relatione immi-
nuunt, non spontaneum sed coactum fuisse subitum exilium
afferentes. Reum enim istius abominabilis criminis peragunt,
de quo jam dictum est, propter cuius odium, cum omnium

Huetius O-
rigenian.

Lib. I. c. 2.

12.

Huet. Orig.

L. I. c. 2.

A 2

oculo.

13

* (4.) *

oculorum in se conjectum pateretur, a conspectu se urbis,
quæ conscientia facinoris fuerat, subduxisse contendunt. Cu-
jus narrationis primus & princeps auctor est Epiphanius;
cujus deinde fidei variis etiam succurrunt argumentis & ra-
tionibus sequentium temporum autores. Ergo cum nobis
magis videatur ad omnem veritatis accusationem exacta
prior illa sententia, repudiata posteriori, nostrique dissen-
sus ratio explicanda sit, in ea tractatione ita versabimur, ut
primo fundamentis eis adversariorum distinet & fideliter
propositis, nostra ordinatim explicitur, ea quidem mode-
stia, qua impetremus æqualem benevolentiam ab his, qui ju-
dicaturi sunt de nostra sententia.

Pro verita-
te historiæ. §. 5. Itaque duo sunt capita quibus compre-
henduntur probationes eorum, qui pro hac re taliter
gesta militant. Primum continet autoritatem Epipha-
ni, quæ magnum apud multos momentum habet, cuius
hær. LXIV. verba in edit. Petav. latine expressa hic exhibentur: *Sed in*
§. 2. *eiusmodi præmii possessione perpetuo non permanuit. Etenim ob*
eximiam sanctitatem & eruditio[n]em summa est in invidiā ad-
dūctus, eaque res magistratus ac præfectos majorē in modum
acuit. Tum illud Vero diaboli calliditate improbitatis artifices
commenti sunt, ut ad turpitudinis necessitatē hominem adige-
rent, atque ejusmodi pœnam statuerent, ut ad illius corpori flu-
prum inferendum Aethiopem compararent. Ad hæc Origenes
fraudulentum illud diaboli consilium non sustinens, vocem illam
edidit, qua duobus illis propositis sacrificare maluit. Quanquam
non omnino sponte illud sua præstitisse vulgo dicitur, sed ubi se-
mel hoc esse facturum assensus est, tuis in manum illius impositum
in subjectum aræ focum excusuisse gentiles afferunt. Hoc modo
& a martyrii gloria confessorum martyrumque, qui illis tempori-
bus

* (5.) *

bis erant, iudicio excidit, & ab ecclesia dejectus est. Accidit hoc Alexandriae, ubi cum exprobrantium ludibria ferre non posset, illinc abiit, & in Palestina siue Iudea domicilium constituit. Forte contigit, ut Hierosolymam profectus, ut, sicut erat sacrarum literarum egregius & eruditissimus interpres, ab sacerdotum collegio (nam & ipse priusquam sacrificaret ad sacerdotii gradum peruenisse dicitur) ad verba in ecclesia facienda sollicitaretur. Cumq; ab iis, qui tum sacerdotalem in ecclesia dignitatem obtinebant, vi pro pemedum ad id agendum impelleretur, ille in pedes consurgens, reliquis versibus pretermisso, postquam hunc unum locum e Psalmo 49. attulisset: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? complicatum librum reddidit, flensque & lacrimans resedit, flentibus cum eo qui aderant uni-versis.

Alterum continet comprobationem fidei & ipsius autoritatis Epiphanius desumptam, a consensu & confirmatione Nemesii episcopi & philosophi Emisseni lib. de natura homini c. 30. Epistolæ Synodiceæ, quæ jubente Justiniano scripta est ad convocandos patres Constantinopolim celebrando concilio universali. Leontii Lib. de sectis, action. io. Nicetæ L. IV. thes. orthod. fid. hæres. 31. Anastasii Bibliothecarii ad ann. Chr. 244. Nicephori H. E. L. V. 32. Zonaræ imper. Dec. Tom. II. p. 230. ed. Francofurt. Glycae Annal. P. III. p. 339. edit. Leunclav. Basil. cuius ultimi verba adscribere placuit, prout ab interprete latino sunt exposita: Verum, inquit, deinceps invidia quadam ad magistratus, qui cum imperio erant ac potestate, delatus, Satanæ auxilio descrivit. Nam cum illi castitatem in ipso insignem plane cognitam haberent, homini Aethiopem admovent; simul indicant, ut vel ipsorum mandatis pareret, vel cum Aethiope se pollueret. Hic quum Origenes

* (6.) *

genes ne quidem extremis auribus tam nefandam rem audire fuisse
stineret, manu sua ture simulacris oblato, lapsus est. Quapropter
Alexandrea relicta, ne illius rei causa quicquam audiret expro-
brationis, Hierosolymam se confert. Quumque coactus esset in
cechu concioneque publica orationem habere (nam ex lapso qui
acciderat ipsi Petro similis erat) bujusmodi verba pronunciavit:
Peccatori dixit Deus, qui sit, ut tu justa mea decreta enarreris?
Et ore tuo foedus meum usurpes? Hunc libro complicato, cum o-
mnibus lacrimas profudit. Eo modo factum, ut deinceps ex qua-
dam mentis insania literas sacras univerosas perverteret, ideoque
in hodiernum usque diem execrationi ecclesiastice obnoxius est.
Cæterum ex recentioribus etiam cum his faciunt celeberrimi
viri Huetius in Origenian. L. I. c. II. 13. item c. IV. 4.
Petavius in animadvers. Epiphan. Hær. 64. & lib. de pond.
& mens. c. 18. Natalis Alexander Tom. III. Hist. Eccl. S. III.
Disp. XVI. p. 700. Anton. Pagius in Crit. Hist. Chron. Annal.
Baron. ad ann. Chr. 251. §. 6. ff.

Quod si qui credibilitatis signa de similibus exemplis collige-
vere velint, eorum prolixum contextum repræsentat autor
vitæ D. Jo. Juelli, cuius si integra in conspectum demus verba
operæ pretium facturos nos esse putavimus. Hinc loquitur de
Juello, tametsi Oxoniæ semel extrusus e collegio iterum oberrans,
Et in patria per aliquot dies peregrinans, postremo in transmarinis
partibus novum querens diveriorum, cum hoc modo ter quodam-
modo exularet, tamen bujus triplicis exilii gloriam Et splendorem,
dum mora traxit periculum, aduersus quidam felicitatis fumus
nonnihil obnubilavit. Etenim aequo diutius Oxoniæ hæren, novis
legatis hæreticæ prævitatis inquisitoribus derepente supervenien-
tibus, consensum in fide Romana ab omnibus subito Et severe exi-
gentibus ac contra recusantes dira fulmina papaliter ejaculantibus:

Quid

præmissæ
opribus
theol. p.
41. seq.

Quid, inquit subridens, an me quoque scribere necesse est? Et
 meam manum videre voluere est? Et cordi vobis est, periculum
 facere, quam eleganter sciam pingere literas? Ita præfatus, in vita
 Et properante manu nomen scripsit, Et chirographo suo visus est
 certa papistica doctrinæ capita hoc modo comprobare. Sic prob
 dolor Petrus in aula pontificis aliquanto longius Et plus satis se
 ad ignem calefaciens Christum negavit. Origenes coactus Et
 ad aram a crudelissimis diaboli organis pertractus diis gentium
 Alexandriæ sacrificavit. Marcellinus episcopus Romanus
 metu Diocletiani ac minis carnisum tus idolis obtulit, Et deos
 alienos adoravit. Similiter christiani milites Juliani apostolæ
 per imprudentiam incensumadolendo, Christo pene renunciarunt.
 Thomas Crammerus Henrici VIII. Et Eduardi VI. fidelissimus
 consiliarius archiepiscopus Cantuariensis, qui Pet. Martyri Et
 aliis in defensione approbatæ Et receptæ religionis operam suam
 condidit, qui Oxonia hanc ob causam in carcere Bocardico de
 tentus fuit, qui cum hostibus acerrime confixit, suauis falsorum
 fratrum inductus, terrore cruentæ legis adactus, blandis promis
 sis illectus, post tot ac tantas dimicationes non utraque sed altera
 manu, eaque vacillante, articulis quibusdam papisticis subscripsit.
 Ceterum Petrus exiuit, in lacrymas solutus est, in gratiam rece
 ptus est. Origenes flens Et singultiens ad docendum in ecclesia
 Hierosolymitana invitatus ex Psalmo 49. prolocutus: Pecca
 tori dixit Deus, quare tu enarras justias meas, Et assumis testa
 mentum per os tuum? complicato libro, alii omnibus simul com
 plorantibus moestus Et animo prostratus resedit. Marcellinus,
 ut Platina scribit, putrefactus Et squalidus flendo peccati pœ
 num luit. Milites Christi sub Juliano, cum obtentu legis ac pri
 scæ consuetudinis decepti, tusculum igni imposuissent, Et munera
 ab Imperatore accepissent, quod honorem politicum Et rem indif
 ferent

ferentem solum putarent, & manum non mentem paganisatum commississe arbitrarentur, a commilitonibus postea melius edicti, Juliano donariis redditis ab eo vehementer contendunt, ut pro eo quod dextra improvide peccasset, toto corpore poenas propter Christum solverent. Ita Crammerus purgatorio igne papistarum in hoc seculo lustrandus, & rogo jam admotus manu inflammatum conjecta: Hæc, inquit, dextera peccavit, hæc prima patiatur. Ita noster Juellus penitens, Francofurti degens, ut jam dictum est, factum recognoscit, & culpam agnoscit. Etenim a reverendis fratribus de suspicione, & ut publicam coram Deo & ecclesia exomologesin haberet, admonetur. Mane igitur pulpito consenso, præclara concione habita sub finem lapsum confitetur. Abjectus, inquit, & jejunus animus & hoc timidum cor meum in causa fuit, quod hæc infirma manus istud scelus admisit. Quæ cum ex intimo summi doloris sensu flebiliter proferret, & a Deo quem offenderat, & ab ecclesia cui scandalo fuerat, veniam suppliciter peteret, nemo omnium inventus est, qui non cum flente fletre, cum compuncto non ingemisceret, cui non ubertim lacrimæ manarent: nemo qui post concionem eum ut charissimum fratrem, ut angelum Dei non amplexaretur. Tantum valet energia & virtus S. Spiritus inspirando, tantum valet disciplina, fraternitas & charitas admonendo. &c.

Contra
historiam.

s. 6. Diximus de iis quæ pro sua sententia velut palmaria argumenta producant facti hujus assertores defensoresque Epiphani. Nunc si nostra mens paucis & generanter est explicanda, illud de re tota censemus verosimile: Epiphanium prout primus hanc historiam commemoravit, eam si non plane confinxerit, saltem affectu seducente incaute ex aliorum rumoribus arripuisse; deinde rem & relationem esse dubiam maxime, & quæ causæ arcescuntur

suntur fulcimenta parum omnino ad faciendam fidem conferre. Quæ duo & ut cuivis appareant, probanda sunt tum illud ex credibilibus conjecturis, tum hoc ex collatione & confictu circumstantiarum. Quæ vero cum his principibus capitibus affinem connexionem habent, & ea, quæ porro sententiae nostræ adversarii vel extipiendo, vel obiciendo nobis injiciunt, inter ipsam tractationem pro re natâ inspergemus.

§. 7. In primo ergo cum statim illud Epiphanius fidei non parum derogat, quod ipse tempore posterior fuit, tum maxime quod solus ex antiquioribus illud memoraverit: quorum prius, ut omnem extra controversiam positum, ita posterior ex adverso non æque omnibus in confessio est, motaque a doctissimis viris Baronio præcipue & Halloxiolis est de integritate hujus, quem in manibus habemus, loci. Quæ antequam ulterius quicquam provocamus, in limine statim nobis est videnda. Baronius enim cum rem ipsam quidem tanquam falsam suspectamque repudiaret, ne conferere dextram cum Epiphanio cogeretur, maluit præterito eo fidem exemplarium incusare, quæ corrupta esse injuria posteriorum hominum contendit. In eamque rem varia repræsentat argumenta, quorum nos quædam commodius ad inferiora rejiciemus, quæ vero proprius ad hoc caput pertinent, hic exponemus. Principio igitur conatur ostendere S. Epiphanium lib. de mensuris & ponderibus ea de Origene scribere, quæ lapsum illius meram esse fabulam non obscure evincant: Floruit, inquit, Origenes testimonio Epiphanius, a temporibus Decii usque ad Gallum & Volusianum. Item: Decii tempore illustris habitus est Origenes. Næ virum illustrem, exclamat Baronius, si gloriam

Baron. ad
ann. 213.
N. 12C.
Huet. L. l.
c. 4. 4.
Natal. A-
lex. l. c.
Petav. ad
Epiph. ha-
ref. 64.

riam suam tam foeda negatione maculasset? Diceret eum floruisse, si alibi mentione turpissimi facinoris gloriae ejus detraxisset? Et alium subjungit locum Epiphanius ex eod. lib. in quo Origenis gesta & peregrinationes accurate perstringit, illius vero non meminit facti; quorum verborum sensus fere talis est: *Ipse vero Origenes multa quidem passus, tandem tamen martyrium non est affectus.* Quum autem Cæsaream Stratonis venisset, Hierosolymis etiam exiguo tempore fuisset, postea Tyrum annos 28. concessit, ut communis habet fama. Ex quo colligit, quoniam Epiphanius loco tam commodo rem quam sub totius orbis oculis admissam clamitant, quam peregrinationum illius in Palæstinam occasionem supponunt, commemorare vel ex Panario repetere detrectaverit, neque illam relationem quæ in solo Panario extare dicatur, ab eodem esse profectam. Porro alterius ejus argumenti vis hæc est: S. Augustinum, ait, Epiphanius tempore æqualem literarum etiam commercio familiarem, cum Origenianorum hæreticorum duas sectas & dogmata recenseret, innuere ea omnia se ab Epiphanius mutuatum esse. Illum vero hujusc rei nullatenus meminisse, arguemento, ut putat, indubio, hanc historiam tum in Epiphanius scripto non extitisse, quam alias vel obiter saltem attingere non omisisset. Verum si dicendum quod res est, non videtur injuria Baronius propter hanc sententiam notatus a Cl. viris Natal. Alexandro, Petavio & Hueto. Et de Deccii temporibus quidem, quomodo iis hæc acta convenientia, quam difficultatem ille intactam transvolavit, dispiciemus infra. Quod vero istas voculas floruit, illustris habitus est, prehendit, nihil sane ex eo commodum sibi efficere potest. Illorum enim vocabulorum non esse alium sensum negare non

* (ii) *

non possumus, quam ea tempestate commendatum vulgo esse, & in aliqua propter eruditionem aut virtutem nominis claritate versatum esse. Ut adeo hoc in loco non talis laus ab Epiphanio pro Origene sit allata, quo minus eum alibi potuerit majori calumniæ macula onerare. Taceo quod distin^{cte} in ultimo loco non potest determinari, anno^{cjus} vero eo directa sint, ut probent potius illud infortunium, quo obstante martyrio non pectitus est, causam fuisse ei ut Cæsaream descenderet. Deinde alterum argumentum aliquid valeret, si demonstratum esset S. Augustinum, nullum alium Epiphanii tractatum in manu habuisse, quam ipsum Panarium. At vero potius ex testimonio S. Patris verisimile fit, cum suum de hæresibus ad Quodvultdeum, librum scripsit, grandius illud volumen non vidisse, veruntamen ejusdem anæcephalæosin ex singulorum tomorum & hæreſeon capitibus collectum opusculum: Illud, quod ait esse per breve & in tantum mediocri mole, ut si in unum redigatur libellum, quibusdam suorum non sit amplitudine comparandum, in quo etiam auctorem adversus hæreses disputare abnuit. Itaque non valet argumentatio, ideo negans in Panario historiam ab Epiphanio non esse allatam, quod ex alio libro eam Augustinus non citaverit.

Et Baronius quidem suspicionem de tempore insertæ historiæ afferre non sustinuit, Halloxius attulit. Ille enim eisdem rationibus usus, cum esset ei in animo facti fidem pernegare, itidem figmenti invidiam ab Epiphanio in posteriora tempora rejecit. Nota est Justiniane*i* seculi in Origenem iniq^{uitas}. In hanc ille ætatem maxime congruere ejusmodi fallaciam judicavit. Fabulæ illius inventorem videri ait eum, qui Justiniano imperante dictavit

B 2 epist.

Halox.
Orig. de-
fenſ. l. 4.
q. 3. & not.
p. 35. ff.

* (12.) *

epistolam ad Menam Constantinopolitanum patriarcham adversus Origenem, quæ in concilii V. acta relata est. At vero nihil hic temere est statuendum, dum nulla idonea divinandi subest ratio, autoritas etiam nulla. Enimvero meminit ejus rei præter Epiphanium Nemesius Justiniano antiquior, seculo vel 4. vel 5. clarus, & Leontius, quem Belalminus V. etiam synodo superiorem facit. Unde manifestum est famâ hujus rei recentius esse ævum Justinianum: accedit quod idolatriæ quidem crimen, autor illius epistolæ Origeni objicit de Aethiope verbum nullum; quod videtur adjiciendum fuisse, si ille omnium primus fuerit ejus fabulæ repertor, & non ex alio priori scripto recitativerit.

§. 8. Fatendum itaque omnino Epiphanio hujus rei memoriam abjudicari non posse, quamvis durum videatur vetusto patri, & velut a plerisque habetur, de ecclesia bene merito assertione rei invidiosæ detrahere. Et vero aliqui nobis id vitio vertant, qui in peccatis prisorum hominum excusandis aut defendendis operam & tempus perdere æquum censemunt; e contrario autem alii prudentes rerum æstimatores facilem nobis veniam largientur, qui consideraverint, quantam merito primo veritatis, secundo dein loco vetustatis reverentiam esse deceat: cujus illius amor sanctus justusque nos ab omni iniquo judicio liberos præstare debet.

§. 9. Quæ nostra protestatio etiam valebit in hac tractatione, ubi jam nobis agendum est de fide & auctoritate Epiphanii, tum in genere, tum præcipue in hac historia. Quæ bipartienda est, ut in priori colligatur, potuissé eum falsa scribere, in altera parte ostendatur, non fuisse a voluntate alienum.

Igitur

* (1.) *

Igitur primo si historicos ejus naevos spectemus, do- Cave in vi-
lendum est, tantum virum adeo non curiosum suæ famæ p. 444. 6.
fideique & auctoritatis fuisse, ut potius omnibus dederit ed. Angl.
causam vel de sua credulitate, vel de negligentia conque- & plures
rendi. Nam, in quo consentiunt viri doctissimi, prout ad res quos
lectionem diffusam & multam quam habuit, iudicium ad- dabit Tho-
modum curtum & modicum attulit, ita sæpe non dubita- mas-Pope
vit, quas res alii prodere jure ambigerent, sine sensu Blount,
& discretione in chartam conjicere. Inde tot res ex falsis p. 239.
& controversis monumentis probat, & ex relationibus quas
partium altera vel de suis vel adversarii factis evulgaverat,
quin & ex inanibus sæpe rumoribus. Et cum nemo facile ipsi-
us cæteras hallucinationes circa maxima historiarum mo-
menta enumeraverit, nec minus etiam profecto illas arguent
ea omissa, quæ in progressu nostræ dissertationis dicentur,

Sequitur altera pars nostræ probationis, in qua ante o-
mnia mores & affectus animi ejus excutientur, deinde acta
& gesta contra Origenem alia explicabuntur. Patet au-
tem eundem vulgata jam illo ævo clericorum quorundam
vitia, quæ jam tum ubere proventu propullulaverant secu-
tum fuisse; qualia sunt: in affectibus esse nimios, in judican-
do præcipites, in sententia pertinaces, non distinguere pie-
tatis sensum ab effervescentia animi motuum, quidvis re-
ctum putare in facienda suis adversariis invidia, zelo abundare,
prudentia & consilio destitui, & alia præter ea multa.
Hæc autem ille plurimum domesticis auxerat, eaque in hi-
storiam suam redundare passus erat, quorum exempla
quamvis multa sunt, tamen quod in præcedenti parte fe-
cimus quoque, afferre noluimus, quod sunt paululum are
nostra remota, & moram spatiumque prolixiora desiderant;

tum

B 3

tum ne plane videamur velle eundem insectari. Ex his ve-
ro recte infertur, merito suspectum esse debere Epiphanium,
qui ea pronitate affectibus obsequendi fuerit; cum maxime
credibile sit, voluisse eum, neque in hoc animi sui im-
petum magnopere cohibere.

Petav. a-
nimad. Ep.
Hær. 64.

Unicum est quod hic injicit Petavius, dum suum Epiphanium, quod in omnibus non potest, saltem in hac re & historia immunem praestare nititur, cuius argumenta in transcurso videnda sunt. Ait: ea religione Epiphanium esse consuevit, ut quoties referret aliquid, quod ad ignoriam hominis alioquin haeretici & nefarii pertineret, id si dubiae minimeque constantis famae sit, nonnulla cum excusatione & titubatione significaret. Ergo cum hoc loco nullam ejusmodi cautionem adhibuisset, neque de ipsa historia, sed parte aliqua tantum & circumstantia, (nimirum de ture injecto) variare hominum opiniones indicasset; id esse indicium judicat, eum de certitudine rei non dubitasse. Sed quandoquidem inferius, securitatem hanc Epiphanius ab ipsis rei evidentia profectam non esse, patescat, nihil etiam ex his aliud colligi posse videtur, nisi quod magis Epiphanium gravetur. Nam de illo quidem, quod retulit, quorum incertitudinis convictus erat, disputare queas, an recte fecerit; cum non potius historici boni officium executus, collatis utrinque dubiis, quæ falsa deprehenderet repudiaret, & vel tacendo confutaret; sed fere animum prodieret præoptantem vere ea posse objici. Igitur neq; quod ex hoc concluditur, eo quod reapse non dubitaverit, jure non debuisse eum dubitare, recte sequetur; quin potius inde argui posse alicui appareat, tanto majorem fuisse ipsius iram & affectum, qui prohibuerit ipsum Origeni parem gratiam

tiam commodare, qualem dedisse aliis prædicatur. Quod facile suspicari poteris inspiciendo in ejus animum tanto odio Origenis intus flagrantem, ut vix aliud de eo juste exceptetur. Id quod magis etiam ex ejus actis, & adversus Origenem gestis, quæ pro rei exigentia breviter exponda erunt, patescat.

Series temporum autem talis est. Primo omnium sicut Epiphanius fere pater est omnium eorum, qui contra hæreses scripsierunt, ita etiam in prolixo Panarii volumine Origenem hæreticis accensuit. Videtur ad hoc inductus esse, non satis distincta Arianorum ab Origenis causa. Qui levandæ publicæ invidiae ergo cogitabant in suam partem interpretari, partim etiam interpolare ejus dicta, quo celeberrimum nomen Origenianum suis placitis prætexerent; quamobrem eundem in tantum alterius partis hominum odium conjecterunt, ut vulgare esset illo seculo passim cum Arianis Origenem traduci. Accessit in Epiphanio propria animi proclivitas, quam supra notavimus, cuius loco optandum fuerat, ut eam moderationem retinuisse, qua usi sunt ante eum, qui pari modo Origenem scriptis impugnarunt, neque tamen ullus eorum, nisi selecti bonorum instituto, omnia ejus damnavit, aut humanis erroribus hæreticæ pertinacæ & pravitatis notam impegit. Cæterum initio statim non sibi temperavit ab exorbitantis affectus convitiis; postea autem multo magis prævalens apud plerosque Adamantii gloria eum exasperavit, ut pariter eos, qui a duriori sententia in Origenem statuenda abhorserent, exagitandos sibi & in suspiciones aliorum inducendos proponeret. Nactus erat in ea re adjutorem Hieronymum, in hac disputatione nimis habito vulgaris autæ respe-

Huet. L.II.
c. 4. l. 1. 45.

Hallibix.

Or. defil. 4.

q. 4.

Huet. Orig.

l. 2. c. 4. l.

1. 7.

Nat. Al.

Tom. III.

c. 4. p. 71.

Huet. l. 2. c.

4. 6. 1. 9. ll.

ad finem

* (16.) *

respectu inventum se ipso & sua per doctrinam gloria parta inferiorem, ut cum apud eam potentem factionem laudem caparet, cuius proceribus cerneret Origenem detestabilem, non solum mutata velificatione eum & sequacem Rufinum maximo studio incessiverit, verum etiam omnino non voluerit unquam ejus partes sectatus videri; in quo neque cum priorum librorum contrariae sententiae objicerentur, quicquam pensi habuit. Praeter hunc vero illa aetate neminem sibi publice faventem habuit Epiphanius, quare admodum caute & attente se gessit, ut primo tempore plane dubium esset, utrumq[ue] justior causa foret. Nam & Johannes Hierosolymitanus, quem potissimum oppugnavit, & plurius haeresium reum facere tentavit, efferatus ejus continua infectatione, prehensa semel iusta, ut videbatur, altercandi occasione in ordinatione Pauliniani, duriorem se postea factis & irreconciliabilem praestitit; & contra Epiphanius speciem praebere voluit quam maxime pacem querentis & finem certaminis. Quanquam non potuit omnino abstinere ab occultis & aculeatis fannis atque etiam machinationibus, quibus abstraxit monachos a communione Johannis.

Huet. L. II.
c. 4. sect. 2.

Successit dein aliud tempus quo majorem animum factione acquisita sumvit, & affectibus frena laxavit. Inter multa que magno cum dedecore christiani nominis perpetrata sunt, haec potissimum ad institutum nostrum probandum pertinent. Theophilus Alexandrinus episcopus laetus sum se ab aliquibus existimans, quo haberet auxilia & praetextum vindictae, adjungit sibi monachos sectarios anthropomorphitarum, qui Deo humanam formam tribuebant, iisque persuadet in contraria opinione esse eos, quibuscum priuatae similitates ei intercesserant: quamvis communis haec

hæc istis sententia fuisse cum Theophilo, qui scriptis quoque eam sectam confutarat. Dissimulata autem tunc dolose animi sui sententia incendit monachos, ut alteri ab iis passim tanquam Origeniani (quod Origenes huic errori contradiceret) traducerentur; quousque ille porro stolidorum hominum cervicosa bile abusus, cum conflata ex eis manu asceterio suorum adversariorum incenso & vastato per vim & flamas facheret oppugnandi Origenis exordium. Namque, cum jam id valere sentiret ad concitandam populi, magis etiam potentium procerum invidiam, conjunxit Origenis causam cum criminationibus innocentium viorum, quorum infortunio implicitus Origenes non aliam sane ob rem, quam propter eorum simplicem erga libros ipsius amorem. Quod si quidam favore Theophili existimare velint, nisi hæc forent sua culpa passi, non laudaturos fuisse Hieronymum & Epiphanius in Alexandrino episcopo & dei zelum: potest illis e contrario responderi, nisi eorum res meliores, tantum scilicet, quantum ipsi præjudicio & factione populari inferiores fuissent; non sumturum pro eis S. Chrysostomum tamē operam laboresque; cuius prudentissimi modestissimique viri patrocinium multo plus valet ad eorum defensionem, quam aliorum quorumvis contumelie.

Cæterum his rerum successibus Epiphanius spe & desiderio sibi adjungendi Theophilum, a quo alias propter Anthropomorphitarum errores notatus erat, initio cum una cum Hieronymo instigare cooperat; dein confirmato per eorum applausum & ad indies pejorum artium exercitia provocato Theophilo, mutuis jam de protrita hæresi gaudiis & gratulationibus fungebantur. Epiphanius porro ob

C

conci-

conciliandam rei majorem speciem a Theophilo ad celebrandum concilium sollicitatus, gnatum se præbuit & sedulum; congregatisque suæ provinciæ clericis, obtinuit decretum, quo Origenes nominatim damnaretur, simulque ii qui subscribere huic sententiæ detrectarent. Præter multo plura inter ipsos consilia communicata, hæc gesta sunt usque ad tempus indicti Constantinopolitani conventus, & suscepti itineris ob impugnandum Chrysostomum, qui præbito benigne Origenistis extorribus refugio, neque hos neque autorem eorum, præterquam cognita causa condemnare magna cum prudentiæ & pietatis laude, quantumvis importune interpellaretur, recusaverat.

Vid. Huet.

lv c⁴

Quo cum esset appulsus Epiphanius in tantum se infenso erga Joannem animo ostendit, ut quamvis ille honorifico cleri comitatu eum deduxisset, atque iterato invitasset, tamen vel ejus hospitio, vel domibus ecclesiasticis vel omnino consuetudine uti pertinaciter renueret, nisi confessim Origenis libros prosciberet, & Origenistas Aegyptios sua tutela rejiceret. Quod ubi re nondum dijudicata Chrysostomus sibi æquum esse constanter abnueret, primo Epiphanius coacto tum forte præsentium episcoporum numero decreta sua confirmari postulat ab illis. Deinde re per plurimorum dissensum non perfecta, persuaderi sibi patitur, ut irruptione facta in templum, quo synaxis erat celebranda, Origenem librosque damnare, ipsumque Chrysostomum incessere tentaret. Quod consilium tamen quam temere susceptum est, tam trepide dimisit, cum jamjam ingressurus basilicam a Joanne, ut tumultum populi caveret, placide admoneretur. Maxime autem imbecillitas viri apparuit in illa responsione, qua diserte quærentibus

rentibus ex se causas odii adversus Origenistas confessum esse tradunt, se eorundem sententiae neque lectione librorum, neque collatione cum ejus discipulis & propugnatoribus instituta periculum cepisse, sed simpliciter audita referentibus aliis credidisse. Merito cum haec ei temeritas exprobraretur, nihil pro sua defensione comminisci potuit.

Sunt tamen ex amicis Epiphani, qui horum factorum invidiam elevare, institutique itineris causas mollissime interpretari conati sunt, quorum dicta accuratissime recentita habentur apud Huetium. Quicquid id est, non diu supervixit Epiphanius, sed omnibus in contrarium evenientibus, desperatoque successu mature se recepit, remensusque in Cyprum viam decepsit in navi, antequam ad destinatum locum pertingeret. Quae vero porro a morte ejus in hac controversia admissa sunt, ad rem nostram non pertinent, & sine dispendio taceri, sine verecundia & rubore referri non possunt.

Puto autem ex his liquere, quod probare instituimus, mente Epiphanium tantopere incensa fuisse adversus Adamantium, ut aegre cum posset ei facere, verisimiliter haud aquam parsurus fuisse videretur: idque cum opere ipso praestiterit, quo minus etiam scripto exequeretur non animi consuetudo, non veritatis neglecta curatio obstiterit, inde recte concludi, in re vana libenter, at sine ratione credita commemoranda exiguum plane apud viros prudentes fidem commeruisse, ejusque testimonium & autoritatem contra famam & innocentiam Origenis allatum parum evincere; praeципue cum aliunde magnis ac multis difficultatibus urgeatur totus relationis contextus, quod in progressu no-

su nostræ dissertationis magis perspicuum clarumque fiet.

§. 10. Supereft antequam ad alia progrediamur hoc unum, ut indicetur origo & autores hujus commenti. Quod quidem paulo difficultius prima specie appetat explicatu, quandoquidem durius aliquando videtur dicere, confitum primo & primo proditum esse ab Epiphanio: & tamē ejus memoria simul & editio Panarii omnes lites posteriorum temporum, quibus alias, judice Halloxo, hoc artificium non immerito tribui posset, ætate antecesserit. Verum si quis perspecta etiam anteriorum temporum historia intellexerit, quantis jam tum animorum motibus inde a Demetrii tempestate, & quam exquisitissimis criminationibus fuerit agitata Origenis causa, non difficulter quid statuendum sit iudicabit. Scilicet Demetrii cavillationes aures quibusdam obtuderunt, præcipue quos vel stupor vel similis malevolentia ad pavidendum ineptos reddiderat, ut initio quidem illud tantum otiose crederent, quod sola maledicendi libidine & ad suæ injuriæ colorem proposuerat, a fide nimis descivisse Origenem, atque ideo a se ecclesia christiana esse expulsum. Deinde istud per traducem ad posteros propagatum, varias indies adjectiones, pro fœcunda natura mendacii, accepit, atque inter vanissimos quosque petulantilitentia jaſtatum ea demum forma prodiit, qua potuit tanto apparatu instructum & veri quadam specie pictum incerto Epiphanio fucum facere, ut eo ex rumoribus istis arrepto uteretur ad subruendum Origenem. Cui addendum etiam illud, multos cum Epiphanio deceptos incuriosa combinazione diversorum temporum, quando sub Decio tormenta perpessum, sed martyrium non subiisse constabat; quod cum occasione migrationis in Palæstinam confundi potuit,

* (21.) *

potuit, jure autem non debuit, sicuti id inferius demonstratum dabitur.

§. 1. Videndum jam est alterum membrum nostræ propositionis de iis, quæ profulcienda historia & autoritate Epiphanius proferuntur, tum etiam de ipsius historiæ circumstantiis. Ad illud pertinent quæ de testimonio recentiorum, silentio aliorum scriptorum consensuque aut dissensu dici disputarique quomodo cuncte possunt. Inter scriptores primo ætatis ratione varia sunt genera: antiqui alii & coævi, alii recentioribus saltem temporibus antiquiores, denique alii sunt nostri ævi. De medio genere, quoniam ipsorum autoritate potissimum nititur pro facti veritate argumentum prius dicendum est. Sed horum iterum gratia distinctæ tractationis, variae sunt classes constituendæ. Priors voco Nemesium, Justinianum & Leontium; posteriores tempus concilii Constantinopolitani II. secutos, eosque vel Græcos: Nicephorum, Zonaram, Glycam vel Romanos, Anastasium Bibliothecarium, alios. Horum omnium in universum autoritas minoris etiam quam Epiphanius habenda æstimandaque est.

Primo quod singuli ætatem non attigerunt, quæ si non eadem, saltem proxima ab rei gestæ temporibus fuit. Ita que ut magna sit apud coævos opinio veritatis atque fidei, tantum tamen illius decedit posterioribus, quantum timeatur intercedere potuisse falsi rumoris & additamentorum quorum altrix atq; etiam inventrix est longævitatis temporis.

Secundo quod ut universam suam historiam ex alienis scriptis, ita hanc præcise non aliis monumentis quam Epiphanius hauserunt, cuius ideo cum fide stant simul caduntq;. Id in quibusdam adeo manifestum est, ut vix videri aliud

C 3

possit.

* (22.) *

possit. Nam Leontius, qui de sectis scripsit, quemnam potiorem imitari in suo tractatu potuit, quam Epiphanium, cuius quoque vitia passim sua fecisse res est ut perfacilis, ita credibilis. Videmus id in hodiernis hominibus, quorum plerique unum sibi vel aliquos autores deligunt, quorum vel egregias virtutes, vel, quod saepius, insignes errores, secure & fideliter transcribunt. Inter hos autem praecipue qui contra haereticos scriperunt, rari semper sunt, qui non quidvis quovis modo collectum, invidiae ergo adversus eos usurpaverint. Multoque magis cæteri Græci, qui post Leontium fuere, hujus vitii accusari merentur, quorum doctrina ingruestrata ubique barbarie sine istiusmodi emendatis subsiditis exigua miseraque fuit. Sic Nicephorus perpetius Eusebii, quem non nisi calumniandi gratia hic loci deferuit, Zonarasque Dionis exscriptor, & hic quidem tantæ insuper levitatis, ut legitimæ historiæ de honestatum vocaverit Casaubonus. Neque dissimilis est ratio reliquorum, quorum ideo assertionem hac in re non ultra Epiphanius scientiam se extendere potuisse, quoniam præter eum nemo erat ex quo describerent, clarissimum est. Videlatur tamen hoc prima facie in Nemesio locum non habere, quem fere Epiphanius coætaneum faciunt autores. Verum re attente inspecta, nihilominus potest idem non absurdè dici. Nam ab una parte fertur ille recentioribus vixisse seculo quinto, qui vero eum longissime a nostro ævo removet Caveus circiter annum 380. a N. C. eidem assignat: ex altera parte clarum est, Epiphanium Panarii sui LXVI. haereses priores, quas anno 374. inchoaverat 376. absolvisse, & evulgasse; adeoque non est improbabile, venisse eum tractatum etiam in notitiam & manus Nemesii, a quo res fuse

cit. Thom.
Pope-
Blount
p. 377.

Petavius
Anim. Ep.
p. 268.

* (23.) *

fuse per Epiphanius exposita simpliciter recitata sit. Ad quod tamen si quis etiam inductum credat vulgari fama, qua inductus etiam Epiphanius, ne tamen quicquam valide ex eo contra nos concludi existimet, nam scimus, quantum hujusmodi credulitati fidendum sit, præsertim si fundamen-
tum quod habet tam incompositis inconditisque, quales in hoc deprenduntur circumstantiis, constat.

Verum cur rem non satis explorata tam cupide arri-
puerint, causa est flagrantissimum adversum Origenem e-
jusque dogmata odium, quod tertium argumentum est, quo
allatorum testimoniorum vilitas concluditur, quia a tam
inimico animo profecta, non præsumuntur in omnibus a
veritate magis, quam ab affectibus orta fuisse. Probandum
est hoc primo de iis, quos in priori membro nostræ divisio-
nis attulimus. In Nemesio quidem non magnum momen-
tum est positum, studiaque ejus in hac re æque ac omnia
reliqua in obscurò sunt, quandoquidem antiquioribus ta-
centibus, nonnisi recentioribus hoc debet, quod memoria
ejus non plane intercidit. De Leontio quoque sufficere pu-
to quod antea diximus de communi omnium, qui contra
hæreticos depugnarunt, sensu: ex isto capite enim satis de
eo judicare, præterea, quod Justinianeo seculo vixit, con-
venientemque ejus ætatis in Origenem sententiae gessit
mentem, pleraque ea quæ de hoc ævo dicturi sumus, ejus
quoque personæ accommodare poterimus. Sed de Justi-
niano quæ narranda essent in compendium necessario re-
digenda sunt, si propositam nobis brevitatem æqualiter te-
nere voluerimus. Simul autem nomine Justiniani, præter
Imperatorem, intelligo præcipue illum, qui dictante sc. eo
& approbante scripta epistolam ad Menam Constantinopo-
litanum

Huet. L II.
c. 4. sec. 3.

Chr. Lup.
sc. in
Decr. Syn.
p. 703-
706.

litanum Patriarcham; comprehendo etiam totum ejus seculum, quod in universum eodem modo & pessime quidem in Origenem animatum fuit. Evidenter cum Origenistarum insolentia & petulantia meruisset compesci, cavendum tamen ab illo fuisset errore, quem superius notavimus, nec transferenda sectatorum crimina ad autoris invidiam. Enimvero tunc scilicet omnia jam minus rationibus, plus partibus & impetu gerebantur, quapropter in illa impendente omnium rerum confusione, non est hoc mirum, sed tamen miseratione dignum in ecclesia meritis praestantissimo patri non majorem moderationem & veniam infirmitatis humanæ commodatam esse. Cæterum expressos characteres hujus furoris qui cognoscere voluerit, ingestum proborum & criminum cumulum inveniet in illa epistola ad Menam, in qua præter multa intemperantis animi indicia, & post quædam etiam ridicule contra Origenem disputata, horribilis damnatio ejus promulgatur, & ad illi sententiae subscribendum minis omnes adiunguntur. Pari ratione de ista iracundia indicium præbent ipsa acta concilii Constantiopolitani, ubi novo instituto synodorum & ordine cum in ea epistola Imperatoris patres unice ad dannandum Origenem advocati essent, in ipso confessu magnis etiam clamoribus atque cum vehementissimi convitis adeo festinata & præcipiti animorum conspiratione in illam damnationem consensum est, ut plane judicares, omnem causæ cognitionem non visam fuisse ad illum locum pertinere. Ab eo denique tempore tantum hodiernæ ecclesie græcae adversus Origenem odium derivatum est, ut eadem communione excludat, qui vel ejus opera describere ausus esset. Unde colligi potest quantum ejus ætatis fuerit, a quo est propa-

* (25.) *

propagatum, cum initia semper valentiora sint mediis, magnosque oporteat fuisse animorum motus, qui tanto intervallo non refederunt. Simul ex hoc elucefet etiam quid statuendum sit de illis Græcis, quos in posteriori membro nostræ distinctionis enarravimus; nam si ii qui longius, quanto magis qui proprius distant a tam infesto seculo, secuti sunt rationem temporis; eo autem graviorum injuriarum in Origēnem autores fuere, quo immoderatores sunt in affectibus, qui cœco impetu & præjudicio majorum suorum errores propugnare, & amare justum esse ducunt. Indicant id atroces clausulæ adjectæ, quas expositioni historiæ subjiciunt, non ut, quod dicitur, practicum judicium, sed obtrectandi dexteritatem ostenderent. Proposuimus supra brevitatis causa Glycæ solum verba, quæ instar exempli erunt eorum, quæ multo graviora, diversis modo verbis, reliqui repræsentant. Verum non minus Græci ob suæ ecclesiæ quam etiam Romani ob apostolicæ sedis decreta idonei testes esse non poterunt, quorum præcipue respectu ob repetitas in iis damnationes a pontificibus, nihilo fuere benigniores in Origēnem, qui rudioribus teculis vixerunt: & imprimis Anastasius Bibliothecarius laudes ejus consulto suppressit, errores amare infectatus est, Eusebium vero nimil erga Adamantium amoris acriter coarguere nequaquam iniquum duxit.

Quarto denique plurimum his de fide sua detrahitur negligentia, quam in percensendo rei gestæ tempore exhibuerunt, quum præter eos, qui nihil plane definiunt, reliqui satis oscitanter eam ad Decii imperium retulerunt, de quo errore inferius pluribus agetur.

Itaque ex his omnibus intelligitur quam dubia suspe-

D

Itaque

Huet. L II.
C. 4. L 3. 18.

Natal. A.
Ex. Tom.
III. p. 801^a

* (26.) *

& tāque horum sit autorum fides, quorum vel negligentia supina, vel iracundia tanta fuit, ut sibi falsum pro vero imponi, vel nobis obtrudere voluerint; quam deinde infirmo nitantur præsidio, qui hujusmodi armis pro certitudine memorabilis facti dimicare fatagunt.

§. 12. E contrario ex tractatione, quam ordine postulante jam ingrediemur, vanitas commenti clarissime elucescit, cum scriptorum aliud genus spectaturi sumus, & ex eorum silentio probabilissimam de fabulæ falsitate conjecturam collecturi. Sunt vero horum rursus distinctæ familie, fautorum, oppugnatorum, & unius extranei.

Nat. A-
lex. l. c.

Huet. L. I.
c. 4. 4.

Petav. l. c.

De priori classe est Eusebius in luculentissimo historiæ suæ opere, qui cum fuse atque accurate res gestas Origenis percenseret, ne minimam quidem hujus facinoris mentionem fecit. Ex quo contendimus esse manifestam figmenti hujus conclusionem. Verum reclamat nobis hac in consequentia Petavius doli mali Eusebium postulando, qui nihil eorum tacuerit, que ad Origenis commendationem, nihil attulerit, quod ad minuendam existimationem valeret. Neque constantia minori videtur amicorum, quam nos inimicorum affectum reprehendere. Sed hujus argumenti debilitati alia succurrunt conjectura clarissimus Huetius, opinatus, Eusebium cur id scribendo prætermitteret eo fuisse impulsum, quod in apologia pro Origenе, hoc & ejusmodi plura fuisset complexus, quæ ad historiæ suæ propositum non omnimodo accommoda, quippe quæ res ad universam ecclesiam spectantes exequeretur, repetere insuper habuit. De hujus apologiæ autore, quem Rufinus Pamphilum Martyrem fecit, disputat Hieronymus magna cum hujus infectione, sed mira simul incon-

* (27.) *

inconstantia, cuius rationibus tamen subscriptibit Natalis Alexander Tom. III. Diff. XVI. p. 709. Visum est vero potius Huetio
hac in parte sequi Photium, qui a Pamphilo opera Eusebii
in carcere elaboratos, & iis qui ad metalla propter Christum
damnati fuerant submissos confirmat, habetque in suis par-
tibus ipsius Eusebii testimonium. Cujus sententiae nos qui-
dem concedere potimus; sed neque ex hoc conetur exi-
stamus verisimilitudinem quandam assertionis viri cele-
berrimi. Namque primo videntur omnes ii libri nihil quic-
quam explicare de vita & gestis Origenis, verum potius
continere defensionem & excusationem dogmatum Orige-
nis, quod tum ex aliis, tum ex verbis Hieronymi satis aperte
constat, & ipsum apologiae nomen ostendit, non defenditur
enim nisi quod in crimen est, nihil autem tunc est Origeni
vitio versum, quam doctrinarum insolentia. Fuit adeo ra-
tio nulla Eusebio, cur in utroque opere tam illustre factum
silentio praeteriret, cum etiam, si maxime alibi jam fuisse
ejus rei mentio allata, nihilo secius id videatur in fusissimo
historiae ecclesiastice opere vel verbo fuisse repetitur, quo-
niam si unquam aliud, grande momentum in ecclesia &
disciplina christiana, ob exemplum vel infirmitatis vel præclaræ
penitentiae habeat tam memorabile factum.

Sed neque cæterorum Origenis amicorum, inter quos
præcipuus est Rufinus & Lirinensis Vincentius, quisquam
hujus rei meminit, vel crimen diluit, vel omnino excusat;
quod primum fuisse atque facile, si quid ipsis fuisse cogni-
tum aut objectum, argumento & materia defensionis neque
sterili, neque non favorabili, quatenus casitatis insignis a-
mor leviorum potuisse facere culpam humanæ imbecillitatis.
§. 13. Inter oppugnatores Origenis maximè conspicui

Huet. L. 1.
11. c. III. f. 3.

D 2

sunt

* (28.) *

funt Hieronymus & Theophilus Alexandrinus , quorum
quamvis acerbissimæ contra Origenem contentiones suscep-
tæ , & flagrantissimum ei detrahendi studium fuerit , ta-
men rem tam faciendæ invidiæ opportunam neutiquam
memoriae prodiderunt , vel laudatoribus Origenis objec-
runt . Etiam Augustinus de hac re nullam reliquit memo-
riam ; etiæ tuis non recentior temporibus Epiphanius & Hic-
ronymi , contra quoque Origenistas scripsit . Potestque ita
ex his omnibus colligi nullam tam vulgatam famam vel cer-
tam fidem hujus historiolæ extitisse , quoniam ab iiis a qui-
bus merito præsumi posset , non est memorata ; fuisseque
eos in hac parte circumspectiores Epiphanio , qui solus o-
mnes vanissimorum hominum relatiunculas turpisssima cre-
dulitate in suos libros ascivit . Neque iterum est hic au-
diendum Petavii effugium , eas censentis habuisse causas
tacendi , vel quod ad ventilanda Origenis dogmata attenti ,
admissum humanitus flagitium neglexerint , vel quod emen-
datum poenitentiæ crimen objicere illiberale atque iniquum
esse duxerint . Nam quis æstimatis illorum actionibus , a-
nimique ex iisdem affectu , crederet , quicquam quod sua siisset
odium atque impetus visurum plerisque ipsorum fuisse ini-
quum ? Maxime cum ad dogmatum autoritati derogandum
valere perspicerent , tantum autoris flagitium : quo argu-
mento utique Justiniani epistola pernegat , potuisse ab eo
retineri veritatem , qui desertus fuisset a Deo , vel ipsum de-
seruisset . Nequaquam ergo cum potuissent illud facere , no-
luissent , sed quod illud actu ipso non præsterunt , causa
est quod non potuerunt , cuius rei inferius manifestissima
indicia deprehendentur , ut si memorassent , si porro invi-
dia

* (29.) *

diæ suspicione carerent, culpa tamen oscitantiæ & supinatatis in illo casu non forent liberandi.

§. 14. Tandem etiam non exiguum pro nostra sententia momentum est in silentio gentilis Porphyrii, qui cum tanta ubique insultatione christianos infectaretur, ut Ammonium etiam philosophum a recta fide ad idolorum cultum descivisse audacissime & impudentissime mentiretur, maxima cum verisimilitudine judicabitur, non prætermisfuris calumnandi occasionem, si levi faltem conscientia tenuisset factum ad summam ignominiam christiani coetus vergens, atque exaggeraturus nobilitatem peccantis contra reliquorum constantiam, & causæ desperationem a propagatoribus deserta.

Quamvis autem ad hanc quoque rationem paratas habeant nostri adversarii exceptiones, tamen nullum operæ pretium videtur diutius his immorandi, cum cognitis iis quæ mox afferentur, non plus quam imbecillis cause unidique conquisita remedia esse facile apparuerit.

§. 15. Duo sunt quæ ad hanc partem ob affinem materiam commode referuntur, breviterque a nobis inspicientur. Primum est argumentum valens ad destructionem veritatis historiæ defumtum ex apologetica ipsius Origenis epistola, quam pro se scripta, cum injuria esset depulsus a patria. Non superat amplius, sed est Hieronymo visa, decriptionis amarulentia gravissime conquerenti. Directa erat ad quosdam amicos suos Alexandriam contra submissas a Demetrio in nominis sui oppugnationem literas, in qua (Huetii verbis utor) etiam si maledictis abstinere se velle declarat, aspere tamen & acerce Demetrium eique consentientes episcopos perstringit, & illatam sibi injuriam infili-

D 3

& osque

Huet. L.
III. c. III.
f. 2. 6.

* (30.) *

Etosque anathematismos refellit. Dico ergo non apparere, qua fronte tantam sibi audaciam sumfisset Origenes, si ob manifestum scelus esset communione exclusus, quin potius fuisset vel deprecaturus, vel mollissime leniturus facti invidiam: est itaque confidentia isthæc indicium securi animi; adde quod Hieronymus impudentiam hominis convicturus & taxaturus, sine dubio fuerit, si potuisset tam justam exilii causam ostendere.

Huet. L.
III. app. 8.
Secundo monendum est, ne quis existimet, lamenta quæ titulo Origenis ab imperitis vulgata sunt, ad hunc lapsum spectare; ex ipsa enim lectione dubium plane est, utrum in eo libro flagitium humanitus admissum, an errores potissimum, quibus eum a communi sententia deviasse arguunt, deplorentur. De qua causa facile credimus Erasmo & Huetio, qui scriptum istud ab otiosis hominibus, dubium levandæ invidiæ intentione, ipso eventu augendæ causa confitum habuerunt, producta Gelasii Papæ autoritate, qui dudum illud in apocryphorum censum retulit.

§. 16. Postremo si quis in consensu doctorum hodierni temporis virorum aliquod momentum aut contrariæ sententiæ patrocinium arbitrabitur, neque nostra tam est spoliata omnibus praesidiis ut desint quos adversariis nostris vel numero vel dignitate pares opponamus. Habemus enim in partibus nostris Baronium ad A. 253. N. 120. Halloix Orig. def. lib. 4. quæst. 3. & Not. p. 35. Valesium ad Euseb. l. 6. c. 39. Raynauldum holotheccæ serie 1. cap. 39. Spanhemium. multos alios.

§. 17. Accedendum jam est ad ipsam historiam difficultimumque totius tractationis, quoniam hoc potissimum nostræ causæ fundamentum nititur: ubi maximum pondus superest

* (31.) *

habent, quæ de tempore dici possunt, cui reliqua ordine suo
subne~~c~~temus. Ergo jam illud omnium primo adversam cau-
sam deprimit, quod de ratione temporis controverti ali-
quid potest: fere enim hoc est capitale omnibus fabulis, quod
temporis fugacissimi gratiam sibi conciliare non possunt.
Quanto autem jure illud a nobis fiat, demonstratum dabitur
diviso tractatu nostro in duo capita. Duo enim sunt tem-
poris momenta, quibus vel debuit contingere quam ha-
bemus in manibus historiam, vel omnino non. Quod ob
certam notamq; rerum Origenis gestarum seriem allatæ cir-
cumstantiæ in aliud tertium quadrare ne possint quidem.
Sed si neque in primo, quod incidit in imperium Decii fa-
ctum esse, neque etiam in altero quod est sub regimine A-
lexandri Severi fieri potuisse probatum apparuerit, relin-
quetur, ut id solum statuere queamus, confitam falsam-
que esse fabulam, quoniam nulli tempori respondeat.

^{NON} Epiphanius, quando memorat Origeniani hujus lapsus
historiam, certum determinare momentum temporis nesci-
vit, uti fabulam narrare voluisse videri possit. Quod si
tamen cum Petavio dispiciamus ejus cætera, appareat aliquo
modo, si fuisset ipsi dicenda sententia, non aliud tempus
ipsum in animo habuisse, quam Decii imperium, nempe
qui cuncta Origenis acta suis sedibus emoverit, & ad De-
cii annos retulerit florem ætatis ejus, quibus ille vel ma-
xime senio pressus, nec multo post attritis quoque diritate
tormentorum effecti corpusculi viribus, obiit. Quo sane
pa~~c~~to proclive etiam fuerit ipsi seducto aliqua congruentia
non absimilis facti sub Decio, duo fata combinasse & tempus
eorum habuisse pro eodem. Quod etiam manifestius col-
ligitur ex relatione gestorum Origenis, quam libro de mens.
& pon-

* (32.) *

& ponderibus exhibuit, cum facta mentione Decii immediate profectionem in Palæstinam, cuius causa huic lapsi attribuitur, subtexuit. Secutus est Epiphanius cum Zonara Nicephorus incuriose magis, quam fundamento quogum. Similiter enim iis videtur ab sua oscitantia illusum, quod cernerent comprobatum bonorum scriptorum autoritate, Origenem sub Decio passum hostium insultus atque atrocissimos cruciatus. Sed nec fide dignorum quisquam ea persecutione constantia sua quidquam indignum & fide christiana admisisse Origenem memoravit, neque tempestas illa respondet tempori, quo excessit Origenes Alexandria. Nam primo constat apud eos quidem, quod diximus, sub Decio passum esse multa Origenem, sed haud quaque aliam vinculis elabendi viam habuisse, quam mutationem reip. sub interitum Decii & surrogationem Galli, qua rerum christianarum tranquillitas orta est, & confessores claustris emissi. Sane lapsum eum illo tempore non fuisse, ostendunt ejus plurimæ epitolæ, quas post liberationem, ad eos, qui in eadem laniena pari clade afficti erant, scripsit, in iisque utilia solatia subministravit, quæ vero maximo nostro damno interierunt.

Deinde ut alterum illud manifestum fiat, quod est, migrationem Origenis ab Alexandria non convenire Decii imperio, attendenda est probe series & ordo gestorum. Patet autem primo exactum esse Origenem a Demetrio Alexandrino, cuius quidem nos invidiam & indignationem motam esse significavimus suscepito ab Adamantio presbyterio in transcursu Palæstinæ cum Achaicum iter confecisset. Sed multis ante Decium annis hunc jam deceisisse, itidem patet, & demum tertium ab eo Dionysium, qui sedem

Alexan-

Vid. Huet.
1. I. C. 4.

-noq 38

* (33.) *

Alexandrinam tenuit, faventem Origeni in Ianiens De-
ciana scriptis literis eum ad martyrium animasse. Ideoque
II. totum illud inter hos duos eventus intercessisse tempus,
quo refugiens Origenes Palæstinam Cæsareæ & Hierosoly-
mis aliquanto versatus est, aliquanto tempore (licet non
totis 28. annis) Tyri secessum egit. Cujus medii temporis
memoria utut ab Epiphanio minus accurate sit allata, ta-
men injuria a quibusdam plane in dubium vocatur. Un-
de III. illud clarum est, neque in Decil persecutione Alexan-
dræ eum fuisse, qua tamen se ob oculorum conjectum &
sceleris exprobamentum, si fabulæ credimus, proripere
debuit, sed Tyri, quæ civitas ultimo loco ab eo fuit adita;
neque post Decianam persecutionem Hierosolymam vénisse,
quis enim in epilogi vitæ constitutum credat multum pro-
fectionibus vacasse? Denique IV. certum est exiguo ante
Origenis obitum annorum numero Decium coepisse furere.
Quare affectata calumnia est Nicephori & aliorum, qui post
Decianam cladem incepisse eum scripturas pervertere ob-
jicit, cum si quidpiam ejus rei Origenes fecit, illud longe
priori tempore evenire debuit. Quæ tam clara & demon-
strata latius diducere instituti brevitas non permittit, cum
& præterea ex ipsis Nicophori, atque Eusebii historiis
(quibus addi meretur Huetius) satis illa sententia refutetur.

§. 18. Quæ quidem cum sagacissimus Huetius accurate per-
noscet tantisque difficultatibus vellet suppetias ire, delatus est
in eam sententiam, ut crederet omnibus his satisfactum iri,
si tempus hujus lapsus referret ad regimen Alexandri Se-
veri, quo constabat & Origenem profectum esse Alexan-
dria & abeuntem maledictis proscissum, ecclesiæque com-
munione prohibitum esse, quod execratione turpissimæ le-
vitatis factum esse judicavit.

E

Sed

Huet. I. 1.
c. 48.

Petav. I. c.

Huet. I. 4.
c. 4. l. 8.

Sed e contrario ad credendum nos istud facinus sub hoc imperatore fieri etiam minus quam sub Decio potuisse, gravibus rationibus adducimur. Atq; illud jam est in omnium confessione, sicut illius laudatissimi principis imperium fuit omnino citra sanguinem administratum, ita rerum christianarum tantam fuisse pacem, qualis sub alio nunquam, ut nulla in eos aut suscepta per illum, aut iussa sit persecutio. Quin potius, tam propensum erga christianos animum ejus exstitisse, ut praeter multa favorabiliter pro iis designata, etiam indulserit suis domesticis plurimis securam atque immunem christiani nominis professionem, eatenus uti percussor ejus Maximinus odio & in contraria studia nitendi furore cum familiaribus ipsius universos christianos graviter affixerit. Proinde nulla ratione appetet, quomodo fuerit ad necessitatem illam adactus Origenes, quoad nemo in tanta quiete fuit, qui moveret ipsi bellum, talis autem violentia, quam hic referunt, nec crudelissimo tyranno conveniens, probissimo principi ascribi immerito videtur. Sed huic etiam difficultati subvenitur ab Huetio inductis martyrologiis & annalibus ecclesiasticis, ex quibus manifestum esse vult: quamvis publice rebus christianis faveret imperator, eas tamen pro libidine esse divexatas a provinciarum rectoribus, christianosque complures neci datos. Duo autem sunt quae ad hoc respondemus: unum concernit autoritatem illorum librorum, quae quandoque nimis magna æqualiter apud omnes non est: & adductam eorum mentionem & citationem, quae esse nobis aliquantum sublesta debet, in qua jure desideratur omissa significatio distincta loci & libri, quæ necessaria est, si unquam alias, cum ex ea dignosci queat, in quo maximus totius causæ cardo vertitur: Hoc est, qua parte

* (35.) *

parte terrarum dicantur ejus generis injuriæ exercitæ in christianos, cum si non sit expressa Aegypti Alexandriæque memoratio, aut exemplum admissæ per istius regionis præfectos crudelitatis, injuria videatur trahi illud ad universum Romanum imperium, vel ad plane determinatam provinciam procuratoremque, quod in divisissima forsitan regione contigit. Ita etiam debet ex accurata inspectione eorum monumentorum dijudicari, cui temporis articulo tribuantur hujusmodi provincialium rectorum insolentiae. Nam si annales & martyrologia recenti adhuc Alexandri imperio easdem ascribant, parum est impedimenti, quo minus iis tuto subscribere possimus; non est enim absconum, neque ab usu rerum abhorret, in novitio regime præfectorum veterum majorem aliquanto fuisse audaciam, ac eosdem quantacunque spe vel prætextu stolidæ iracundiæ frena laxasse. Sed adulto jam imperio, confirmata auctoritate, perspicuaq; summi gubernatoris voluntate, annuos variatos magistratus eandem sibi arrogasse licentiam, id vero haudquaquam est probabile. Narratur autem Origenes ea ætate profugisse Alexandria, qua Severus Alexander administrationem summæ rei ad 10. usque annum produxerat. Quare tum demum secure provocare ad martyrologia dabitur, si sint prius hæc expedita, quæ vero ab iis expectari posse neutiquam persuademur.

Alterum quo adversariam objectionem confellimus magis etiam pondus habet. Neminem autem cui rerum Orogeniarum mediocris notitia saltem suppetit, potest fugere, quis fuerit Origenis gratiæ & dignationis gradus apud imperatoris Alexandri matrem Mammæam. Illa cum imperatore ad Perficam expeditionem Roma profecta cum Antiochiæ

Haec. I. B.
c. 2. 7.

tiochiæ subsisteret, absenteq; longius filio, interea auditionibus vacaret, permota fama & celebratione Adamantii misso militari satellitio illum ad se Alexandria accersivit. Ibi cum eo multa de rebus ad christianam doctrinam spectantibus collocuta (namque earum aliquem ex gente qua diutius vixerat, percepérat gustum) non modica extracta mora ad ultimum cum testatione maxima benevolentiae & favoris honorificentissime dimisit. Ergo nequaquam consenteñum est vero, eundem qui tanto honore habitus est a rerum potiente foemina, similiter exagitatum esse a petulantia præfectorum: etenim neque in occulto fuit, quod tanto apparatu perpetratum est, neque tam manifesta propensione summæ potestatis magistratum tanta temeritas concipi animo potest, ut in univerſa rerum omnium quiete in maxime conspicuo homine incurſando & excruciendo contravenire ejus voluntati, aut derogare judicio, vel iram non timere, vel omnino impunitatem sperare sustinuerint.

¶ 19. Affine est huic de tempore tractationi argumentum, quod desumitur ab illius ætatis moribus & sensu adversus trans fugas christianorum. Oportet autem admodum esse rerum historiæ sacrae imperitum, qui non disciplinam & rigorem seculorum, quo propriora sunt exemplis apostolicis & infucato vagientis in suis cunis ecclesiæ zelo, maximum pernoverit. Diximus quædam in vestibulo nostræ dissertationis, quæ huc relata dabunt nobis veniam & liberum usum brevitatis, si prolixius hoc loco ea diducere superseedemus. Quicunque ergo simul pensaverit hanc ejus temporis ecclesiæ de desertoribus fidei, quantumvis sera potentia suam culpam dominantibus sententiam, & contulerit cum gestis quæ hanc relationem consecuta esse narrantur,

* (37.) *

tur, prorsus ea non conciliaverit. Nam nulla specie apparet, qua ratione turpissimum factum, maxime cum apud Alexandrinos stomachum & invidiam, imo execrationem tantam, dirasque ecclesiasticas moverit, apud Palæstinos contrarium affectum, prolixumque favorem meruerit, neque tantum gloriam non imminuerit, sed etiam existimationem auxerit, ut divinissimarum literarum interpretationem ei extra ordinem injunxerint, & statim post Alexandrinam fumgam publice docere cum applausu jusserint, repugnantique tantis honoribus fere vim adhibuerint. Concludimus itaque nos potius hanc factam Origeni miseratione innocentiae gratiam, non concessam facinori impunitatem, nec magis suscepsum flagiti patrocinium, quam misero præbitum esse refugium; neque noluisse ejus errori irasci, sed nullam succensendi causam habuisse, quamvis integritatis pletatisque fervorem nihilo minorem alios possederint.

SUB Cæterum non omnino nullius esse momenti hanc consequentiam ex eo patet, quod coactus sit Huetius ad eam respondere, citata Dionysii Alexandrini lenitate, quam in epistola ad Fabium Antiochenum præ se tulit. Cui nos contrariis exemplis respondemus, siquidem penitus immotum certumque manet, exemto eo, quod Novatianorum implacabilem duritatem mitigare studerent, non plus tamen intemperie indulgentiae adhibitum, quam usus & effemitatis defectionibus modum ponendi, frænisque & carceribus cohíbendi urgens necessitas suasisset. Inquit; ea re maxime considerari debet, qua poena in peccantes clericos sit animadversum, quos a dignitatibus omnibus ecclesiasticis exclusos esse antiquissimi canones clamitant, adeo quidem ut recuperandi Cyprian. gradus sui spe omni occisa, ad solam laicorum communio- ep. 52, 64. 68. Can. nem Conc. Nic.


* (38.) *

nem admissi fuerint. Quapropter nulla subest ratio tam prodigiosam fingendi Palaetinorum benevolentiam, qua non solum laico presbyterii privilegia (nam etiam ante suscepitum eum ordinem ab his ad interpretandam scripturam adhibitus est) communicaverint, sed a presbyteratu ad laicam formem postea non deposuerint; neque tantum maturius contulerint, sed & injuste honorem ei servaverint.

J. 20. Quæ cum ita sint clarissimum evadit atque manifestissimum quandoquidem ætas fabulose historię nulla ratione cum supputatione temporum concordat, quid de summa ejus rei decernendum sit. Nam si nihil hæ rationes nos possunt fallere, credimus facilius aut ingenii lapsu, qui remota tempestate eam soli memorarunt, falli potuisse, aut decipere ob magnitudinem invidiae voluisse. Quæcum nos proponere institueremus speravimus posse fieri, ut opera nostra liberaretur Origenes turpi nota, & criminis absolveretur. Cujus voti quantum ipso opere obtinuerimus, aut quantum illi præsidii & defensionis præstiterimus, est apud alios judicium, cuius nos neque suffugimus autoritatem, neque desperamus benevolentiam nostræ confessione tenuitatis. Caeterum si minimum hujus sumus assecuti, satis tam purgatus erit Origenes, si persuasum omnes habeant, non causæ hanc esse culpam, sed actionis nostræ. Quod unicum etiam ubi impetraverimus, non omnino nos intentione nostra excidisse, sed destinatis potitos, ultra expectationem proiectos & satis amplum etiam nostri laboris nos percepisse fructum credemus.

S. D. G.





B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

OR. ECCLESIAST.

E

RIGENIS,

A M

F. G.

ESIDE

SCHMIDIO

RIAEVALL.

SS. ANTIQQ. P.P. FAC. S.
T. DECAN.

ETERN. COLENDISSL.

DISPV T.

OR. DISCVSSIONI

ITTE T

ASIVS AVG. VIND.

APRIL. MDCCIV.



T 154

STADII,

NGI HAMMI, Acad. Typogr.